



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 58. Palinodia Patris Volantii Ordinis Fratrum Minorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](#)

recensebantur, sed duntaxat hunc li- Sæcul. XVI.  
brum esse supprimendum pronuntia- A.C. 1565.  
batur.

§. LVIII.

*Palinodia Patris Volantii Ordinis  
Fratrum Minorum.*

Ineunte Mense Majo cum Pater Fran- *Argentre*  
ciscus Volant in Fratrum Minorum *pag. 391.*  
scholis Director præsideret actui ves-  
periarum, inter argumentandum edixit,  
Parvulos in fide parentum absque ba-  
ptismo salvari: quam propositionem ut  
veram afferere visus fuerat post argu-  
mentationem, unde jussus est a sacro  
Ordine eandem die decima octava ejus-  
dem Mensis revocare, quod etiam præ-  
stítit, estque illius palinodia his verbis  
concepta: *Delatus sum apud Dominos de-*  
*putatos Sacratissimæ facultatis Matris meæ*  
*a viris fide dignis, quod in actu quodam*  
*vesperiarum in hac nostra domo Franciska-*  
*norum, in qua præsidebam, inter argu-*  
*mentanduni contra respondentem, cum in-*  
*tenderem probare parvulos in fide parentum,*  
*sine baptismo aquæ salvati, cumque postea*  
*multas auctoritates Doctorum ad eam rem*  
*adduxisset, tandem in fine argumenti mei*  
*hæc addidi, & verum est, ex quo ver-*  
*bo auditores juste scandalizati sunt: quasi*  
*attentasssem affirmare, parvulos sine baptis-*  
*mo aquæ in sola fide parentum interdum sal-*  
vari,

Hh 5

Sæcul. XVI.  
A.C 1565.

*vari, quam propositionem assero esse scandalosam, erroneam, & hæreticam, & contrariam sacræ Scripturæ, ubi Joannis cap. III. legitur, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Sicuti jam antea hæc propositio per censuram ejusdem Facultatis Matris meæ jure damnata est.*

Eandem assertionem eodem anno, & mense retractabat Magister Guilielmus Senechal Parochus S. Severini in sua Ecclesia.

### §. LIX.

#### *Colloquium in Polonia inter Pinczovienses, & spurios Reformatores.*

Lubienieski  
in hist. re-  
form. Eccl.  
Pol.  
Sandius in  
Bibl. Antitr.  
hbi narratio  
compendiosa  
Andreae  
Wissouvatii  
pag. 213.

Cum tempus appropinquaret præstutum, quo in Polonia Antitrinitarios, seu Pinczovienses inter, & adulterinos Reformatores colloquium celebraretur, Cardinalis Osius funesta hujus disputationis mala pertimescens Sigismundum Augustum adibat, ut hoc colloquium præpediri eidem persuaderet: equidem Proceres Catholici, qui his comitiis intererant, eandem cum hoc Cardinale sententiam fovebant, suamque ei operam ad impediendum hoc colloquium impendebant, verum Sigismundus facultatem, quam hæreticis jamjam dederat, revocare renuebat: